AD QVOD LIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA.
MATVTINIS CONCERTATIONIBVS AGITANDA DIE IOVIS IX. DECEMBRIS IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. M. IOANNE RIOLANO MEDICO AC PROFESSORE REGIO PRÆSIDE.

An Actionis causa εὐκρασία.

HOMO, prudentia, & optima corporis temperie, cæteris preſtantior animantibus, vt corpus naturale, duabus partibus conſtat, vt mixtum, quatuor elementis: vt animal ſanguine præditum, quatuor humoribus, ſanguine pituita, & vtraque bile. Materia, & forma, Corpus, & Anima. Elementa; Ignis, Aqua, Aer, Terra, quæ tamen ita mixtis inſunt corporibus, vt locum in eis obtineant, non ſecundum ſuas ſubſtantias, ſed ſecundū ſuas qualitates. Duplex in vnoquoque elemento qualitas, vna intenſa; remiſſa altera. Igni, ſummus calor: Aeri, humiditas ſumma, cum calore minori. Aquę, frigus intenſum. Terræ, ſiccitas excellens debetur. Omnes iſtæ qualitates paſſiuę ſunt, omnes actiuæ: immo duæ tantum actiuæ, duę tantum paſſiuæ. Humores (quos neceſſariò & ſemper corpus humanum continet) non tanta ſimilitudinis ſocietate, cum quatuor temperamentis, quatuor elementis, quatuor anni temporibus, & quatuor ætatibus coniuncti; vt nihil à ſe inuicem diſſentiant. Sed medio temperamento ver, ſanguis, & adoleſcentia conſentiunt. Ver & adoleſcentia, ſanguinis: Hyems, pituitę: Aeſtas, bilis: Autumnus ſucci melancholici plurimum gignit.

HOMO σοφὸν τὸ ζῶον, καὶ μόνον τῶν ἐπὶ γῆς θεῖον corporis fabricam non fortuna, ſed admirabili naturæ induſtria, & arte ſingulari factam, in tribus præſertim à brutorum corporibus diſſentaneam, obtinuit, Cerebrum ampliſſimum, figuram rectam, & manum inſtrumentum ſapientiæ, organum ante organa. Cum igitur forma omnium perfectiſſima & nobiliſſima exornatus in lucem venerit, corpore omnium perfectiſſimo & temperatiſſimo opus habuit. Hinc factum, vt cum illius forma variis eſſet functionibus [..]cundis deſtinata, corpus habuerit mira partium varietate diſtinctum: partes, temperamento; figura, ſitu, magnitudine differentes, ita tamen vt nulla ſeparatam propriamque formam ſibi arrogaret. Ex hiſce partibus quædam ſunt ſimilares: organicæ, aliæ. Ex vtriſque, nonnullæ ſuę generationis cauſam ſemini; quædam ſanguini referunt acceptam.

ADMIRABILIS humanę formæ prestantia, ex eo conſpicua, quod quicquid Terra in intimo ſui ſinu receſſu occultat abditiſſimè; & quicquid extra cœlorum ambitum collocatum remotiſſimè, inueſtiget & contempletur. Tum quod non ex poteſtate materiæ; ſicut reliquæ, ſit educta. Non eſt temperies ex quatuor primis qualitatibus orta, ſed ſubſtantia quædam omnis expers materię, & diuiſionis; non triplex, neque enim primum informatur fœtus anima plantæ, deinde bruti, poſtea hominis. Nullum certum ſecundum ſe & ſuas potentias locum in corpore ſibi vendicat. Multas illius partes informat, ſed non omnes, vt humores, ſpiritus, lac; ſemen, capillos, vngues. Ex humani corporis partibus quatuor ſunt principes & ad vitam neceſſariæ. Cerebrum Cor, Hepar & Teſtes.

ANIMA, multarum facultatum compos, fruſtra creata, & cum corpore tot tamque diuerſis organis inſtructo, coniuncta eſſet, niſi vim ſuam operationum multiplici varietate manifeſtam redderet. Partes enim corporis non ob ſeipſas, ſed ob actiones ſuas expetuntur, vnde parti cuique ſimilari, ſua quædam eſt ſubſtantia, alteratrix facultas, actio & vſus. Quatuor præcipuæ facultates à principibus inſtrumentis deriuatæ, ceteris preſto ſunt. Facultas animalis, in Cerebro frigido humido reſidet, ſed non tota, neque naturalis Hepate vniuerſa. Cor ἀρτηριῶν ῥίζωσις, ἀρχὴ τοῦ θερμοῦ, καὶ τοῦ ζῆν, vitales ſpiritus & calorem (quem ſi dixeris cœleſtem an elementarem nihil intereſt) per eaſdem arterias quoquouerſum diffundit. Hepar quatuor humoribus vno & eodem calore a ſe generatis, omnes corporis partes ſemper nutrit, ſemper inquam, quicquid enim viuit, nutritione perpetua ſuſtentetur, neceſſe eſt. Cum ſanguine viuant animantia ſanguinea; elementa nutritionis munus præſtare non poſſunt. Teſtes facultatem habent ſeminis prolifici: Ad prolis generationem, mulieres viris frigidiores paſſiuè tantum concurrunt. Ex vtriuſque congreſſu, ſoboles humana gignitur. Dæmon, licet poteſtatem habeat maximam; ab hac poteſtate excluditur.

EX varia calidi, frigidi, humidi & ſicci miſtura, non ſolum animantium, ſed etiam partium alicuius tots diuerſa naſcuntur temperamenta: Quę numero ſunt octo. Quatuor ſimplicia, quatuor compoſita. Temperamentum, quod quidam ad pondus vocant, æquali qualitatum portione conſtans, è temperamentorum albo expungendum. Omnis actio; à forma, vt omnis paſſio à materia: Omnes actiones partibus homogeneis tribuendæ, quę ſuas exercent operationes per ἰδιοσυγκρασίαν, cum cuiuſque partis ſimilaris forma conſtituatur ſiue enim cerebrum, ſiue iecur, ſiue cor, ſiue ventriculum (cui ſanguis, non chylus pro alimento debetur) ſiue aliam particulam vllam, fungi quacunque actione dicamus, propter commodam; & quę in ſingulis inſtrumentis ſecundum naturam eſt, temperiem; fieri aſſerimus, ex quo fit, vt ſi quis partis ſimilaris actionem conſeruare ſtudeat, illius temperiem tanquam formam retinere debeat.

Ergo Actionis causa εὐκρασία.

ASSEREBAT CLAVDIVS CAROIVS PARISINVS. Anno Domini. 1604.

DOMINI DOCTORIS DISPVTATVRI.

M. Ioannes le Mercier.
M. Michael Toutain
M. Stephanus Gorion.
M. Gulielmus Leſcaillon.
M. Petrus Collier.
M. Franciſcus Elain.
M. Bartholomæus Perdulcis.
M, Ioannes Martin M. R.
M. Claudius Bazin